



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. V. An tertius interveniens pro suo interesse possit impedire
executionem sententiæ inter alios latae?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

esset lata sententia (cū sententia nulla non sit sententia, neque transeat unquam in rem iudicatam) prout colligitur ex c. Super eo. 2. De crim. falsi. & quamvis multi sint, qui dicunt, Executorem non posse exequi sententiam formaliter injustam, ex malitia v. g. Iudicis latam, si sciat formaliter eam injustam esse, cū in tali casu nihil operari possit præsumptio pro Iudice, sunt tamen etiam, qui cum Glossa in c. Pastoralis 28. §. Quia vñ V. Etiam si sciat. De offic. Iud. deleg. contrarium teneant, quod scilicet minus Executor sententiam etiam, quam scit formaliter injustam, exequi possit, si onus impositum declinare non possit, aut non possit ad Superiorem velut gravatus recurrere, tum quod pars sibi adscribere debeat, si quod patitur ab Executore tali incommodum, et quod intra tempus debitum non appellaverit; tum quod huic parti contra Iudicem de damno dato agendi remedium adhuc superest. Huic tamen etiam merito Executori, quamvis nulla jurisdictio competat, non tamen omnis coercitio, (facti scilicet) neganda est contra executionem impeditentes, ne inanis sit facta illi executionis commissio.

§. V.

An tertius interveniens pro suo interesse possit impedire executionem sententia inter alios lata?

EX c. Cū super 17. h. t. habetur, quod, quamvis contra principalem actorem in iudicio sententia lata sit, tertio tamen, cuius interest, qui tamen iudicio tali non interfuit, nihil noceat, neque exinde præjudicium aliquod pati de-

Pirhing, Compend.

beat, ita ut appellare etiam, possit à lata sententia, neque executioni ea mandari possit, donec etiam illius tertii causa, qui ob suum interesse, postquam cognovit sententiam hanc latam fuisse, legitime appellavit, cognita fuerit, nec possessio rei vel iuris ipsi auferri, cū nemini sine causæ cognitione sua possessio auferri debeat. Ex quibus facile patet, posse tertium pro suo interesse intervenientem impedire executionem sententiæ inter alios latæ, ita ut contra Reum quidem condemnatum in iudicio sententia confirmari possit, contra tertium verò, si rationabiliter appellavit, infirmari, vel saltem executio illius suspendi: quamvis ante appellationem interpositam summarie probare debeat hic tertius appellans, suū interesse, latam contra alium sententiam, vel certe præstitā prius cautione indemnitas ille cavere deberet, si executio videretur urgere.

§. VI.

An is, contra quem in aliqua causa tres sententia confirmata sunt lata, admitti debeat ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicuius ex illis, vel ad excipiendum, antequam huiusmodi sententia plenè fuerint executioni mandata?

Responderetur ad hanc quæstionem, in Clement. ut calumniis l. h. t. negativè, si deinde sententiæ hæc fuerint interlocutoria tantum, si de definitivæ, si de immediatè ad se invicem, si de mediata latæ, ut occurratur scilicet calumniis litiganti, prout dicit Pontifex. Quæ constitutio locum etiam habet in causa criminali, ita ut executio illius fieri debeat, antequam agatur de nullitate sententiarum,

Ccc

rum,